



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jus Canonicum Practice Explicatum**

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,  
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1728**

Decisio XV. De Consecratione Episcopi facta per Chrisma dubium.

---


[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

## QUÆSTIO II.

An Oscitantius ob deprehensam inscitiam fuerit privandus beneficio suo Parochiali?

Hæc breviter expeditur ex Concil. Trid. s. 21. c. 6. de ref. ibi: quia illiterati & imperiti Parochialium Ecclesiarum Rectores Sacris minis apti sunt officis - Episcopi, etiam tanquam Apostolice Sedis delegati, eisdem illiteratis & imperitis, si alias honeste vitæ sint, Coadjutores aut Vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possunt, quacunque appellatione, & exemptione remota. Ex-

go non privationem decernit, sed ad tempus, si spes sit, quod interea talis se aptum sit redditurus, eidem Vicarium dari præcipit. Si tamen adeo stupidus fuisset Oscitantius, aut negligens, ut pro omnino illiterato haberi potuisset, aut spem nullam præbuisset futuræ aliquando idoneitatis, privandum fuisse crederem, tanquam vel invalidè promotum, vel tanquam indignum. arg. c. 7. S. inferiora. & c. 22. de Elect.



## TITULUS XV.

De Sacra Unctione.

DECISIO XV.

De Consecratione Episcopi facta per Chrisma dubium.

SPECIES FACTI.

IN dicecesi vicina ante complures annos in consecratione Episcopi Suffraganei adhibitum est chrisma, de quo post multi temporis lapsum dubitatum est ex confessione Phatma-

copæi, qui Chrisma consecerat, an verum illud fuerit, vel spurium. Quapropter ingens per dicecesim motus excitatus, & à multis dubitatum est, an ille Episcopus validè ordinatus

N 2



tus & consecratus sit, consequenter an ab ipso Ordinibus initiati, qui ad sexcentos vel septingentos ascenderant, validè sint ordinati, præsertim presbyteri, eorúmque absolutiones

Sacramentales, & Sacrificia valuerint. Item an non omnes denuo, saltem sub conditione essent ordinandi, Responsio patebit, si decidatur

### Q U Æ S T I O.

*An Unctio Chrismatica, in Consecratione Episcopi adhiberi solita, sit de essentia Ordinis & Consecrationis Episcopalis?*

**V**idetur, quòd sic. 1. Quia Innocentius III. *c. un. b. t. lect. integra* apud Gonzalez *b. n. 6.* docet, unctiorem Episcopi ex præcepto Divino provenire, 2. Un & exemplò Apostolorum, 3. Perpetua consuetudine confirmatò in Ecclesia Dei, cum Patres & Concilia dicant, Episcopum esse *consecrandum*, & super caput ejus esse *fundendam* benedictionem, quibus verbis innuitur unctio. Unde Ordo Romanus de consecratione Episcopi sic præcipit: *mittat chrisma in caput Episcopi in modum crucis.* Et Honorius in *gemma anime l. 1. c. 181. & 189.* ait: *ideo Episcopi oleo ungentur, ut Spiritum S. Apostolis datum esse doceamur, & ut vitæ & doctrinæ coram hominibus luceant.* 4. Unctio Chrismatica in capite & manibus est materia Consecrationis Episcopalis, ut docet Sylvius & Mezurius apud Diana: sed materia est de essentia Sacramentorum, ut pro certo tradunt Theologi: ergo & Unctio Chrismatica est de essentia Sacramenti Ordinationis, seu Ordinationis Episcopalis.

Aliter tamen sentire nos docet Innocentius III. *in c. un. cit.* ubi sic loquitur: *Cum venisset ad Apostolicam Sedem ven. fr. noster, Bracharensis Episcopus* (legendum est, *Brandicubrensis Episcopus*, ut ostendit Gonzalez *n. 2.* quia improbatum ibi consuetudo Græcorum, qui omittebant in consecratione Episcopi Unctiorem, Bracharensem autem Ecclesia est in Lulitania) *qui in consecratione sua sanctam non acceperat unctiorem, quoniam apud vos non consueverunt Pontifices, cum consecrantur, inungi, nos, quod illi defuerat, mandavimus in ipso suppleri, facientes caput ejus & manus per Albanensem Episcopum* (assistentibus ei duobus Episcopis secundum morem Ecclesiasticum) *sacro chrismate deliniri.* Jam sic: Pontifex tantum jussit suppleri, quod fuit secundum morem Græcorum omissum, scilicet unctiorem Chrismaticam, non autem voluit Ordinationem reiterari: ergo censuit, &



& sic electi, Ordinationem valuisse, & quidem certò valuisse, aliàs debuisse saltem sub conditione reiterari, & non tantum omiſſa ſolemnitas ſuppleri. Confirmatur: Pontifex fatetur & teſtatur, apud Græcos non fuiſſe conſuetum adhibere unctionem externam in conſecratione Episcoporum: ergo vel Græci nunquam habuerunt veros & validè conſecratos Episcopos (quod temerarium eſt dicere, & erroneum) vel unctio externa, & quidem Chriſmatica, non eſt de eſſentia, ſed tantum ſolemnitas, quam Eccleſia Romana adhibere ſolet, & voluit, ut etiam adhiberet Græca; cum hæc debeat illi præcipienti, tanquam Capituli, obedire. Demum in præſenti caſu omnem ſcrupulum exemit decifio Romana, quæ dicitur ad propoſitum hoc debium emanãſſe, & abſque metu deinceps eſſe juſſit.

Ad oppoſita, & quidem ad 1. r. Quamvis in antiqua Lege fuerit præceptum divinum ungere ſummos Sacerdotes; illud tamen fuit ceremoniale, in nova Lege abrogatum, neque à Chriſto inſtauratum, quia de hoc nihil conſtat: quòd autem Eccleſia Romana ſemper obſervaverit, inde non probatur præceptum Divinum, ſed traditio merè Eccleſiaſtica, ſicut ex eo, quòd obſervatum ſemper fuerit jejunium Quadrageſimale, quòd Apoſtoli jam inſtituerunt ad exemplum quadrageſimalis jejunii Chriſti, non probatur, illud præceptò Divinò introductum eſſe. Ad 2. Nec

exemplum Apoſtolorum probat præceptum Divinum, ut patet in dicto jejunio Quadrageſimali. Imò Apoſtoli videntur non adhibuiſſe unctionem: nam 1. *Tim. 4.* ubi S. Paulus admonet Timotheum, ut non negligat gratiam in conſecratione ſua in Episcopum acceptam, non tamen aſfert aliam materiam hujus conſecrationis, quàm impositionem manuum Episcoporum, nec verbulo mentionem facit unctionis externæ: *noli, inquit, negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii*, id eſt, Episcoporum. Et hanc impositionem manuum ſuper caput novi Episcopi intelligunt PP. & Concilia per conſecrationem, & benedictionem ſuper caput *fuſam*. Vel, ſi loquantur de aliqua unctione phyſica, eam requirunt ſolum tanquam ceremoniam de neceſſitate præcepti, non tanquam materiam ſubſtantialem de neceſſitate abſoluta & ex institutione Divina. Idem vult, & non aliud, Ordo Romanus. Ad 4. Negatur *Ma. Sylvio* & *Mezurio* opponitur auctoritas reliquorum DD. ferè omnium cum S. Ambroſio *de Sacerdot. dign. c. 5.* S. Hieron. in *cap. 51. Iſaiæ*. Bellarm. *l. 1. de Sacram. c. 9. Sc.* à quibus, uti & *c. un. cit.* enervatur paucorum illorum auctoritas. Denique advertito, licet ex Patribus vel Conciliis probaretur neceſſitas alicujus unctionis phyſicæ, nunquam tamen probandam eſſe neceſſitatem unctionis



tionis *Chrifticæ*, seu *Chrifti* unctioe aliqua, sed per *Chrifti* fmate potius, quam *simplici* oleo factæ. Unde non est, cur dubium, factam revocemus in *Consecrationem* Episcopi adhibita



# TITULUS XVI.

De Sacramentis non iterandis.

## DECISIO XVI.

De tactu hostiæ unâ cum calice & patena faciendâ ab Ordinandis in presbyteros.

### SPECIES FACTI,

**M**arcellus diaconus, vir ex merito suo mihi æstimatissimus & longè charissimus, Ingolstadiô profectus est Eustadium, ut suscipere Sacerdotium: sed in actuali Ordinatione cum ipsi materia remota Presbyteratus Ordinis offerretur tangenda, scilicet calix cum vino, & patena cum hostia, nescio quo casu vel inadvertentia is non tetigit hostiam, vel saltem ex postfacto dubitavit, an tetigerit, licet probè recordaretur, se calicem & patenam contigisse. Vix rediit Eustadiô, plenus anxietatibus & inquieta sollicitudine (licet aliàs minimè scrupulosus) ad me accurrat, mihi que omnem oppidò tristis & turbatus exposuit consilii & solatii capiendî gratiâ; metuebat enim, ne non fortè propter omîssum hostiæ contactum invalidè or-

dinatus esset, & consequenter, quia in Sacramento Ordinis, præsertim Presbyteratus, à cuius valore pendent Absolutiones Sacramentales & Missæ Sacrificia, non sufficere sciebat probabilem sequi opinionem, ubi agitur de valore suscepti Ordinis, sed requiri moralem certitudinem, dubitabat, an non teneretur novam collationem Presbyteratus sub conditione sibi procurare, seu, quod idem est, reiterationem Sacramenti Ordinis Sacerdotalis, aliàs, si semel validè susceptum sit, non reiterabilis, conditionalem perere. Solatus sum pro viribus anxium, sed quia, ut docti homines solent, nudis verbis acquiescere noluit, adductis in utramque partem argumentis videbatur accuratius discutienda & decidenda

QUÆ-